J. N. J.

משיח הרופא לכל תחלואינו

SIVE

DISSERTATIO PHILOLOGICO - EXEGETICA DE CHRISTO MEDICO CORPORIS ET ANIMI

e Jesaiæ LIII, 4. & Matth. IIX, 16. 17. inter se comparatis,

QVAM

AVSPICANTE DEO TRINVNO

PRÆSIDE

ALB. MENONE VERPOORTENNIO,

SS. THEOL. DOCTORE, DIRECTORE, ET THEOL. LOGIC. AC JVR. NAT. PROF. PVBL. ORD.

IN ILLVSTRI CASIMIRIANO

Ad Diem III. Maji, A. C. cIↄ Iↄ ccxxvi

ERVDITORVM JVDICIO

Subjicit

AVCTOR RESPONDENS

SEBASTIANVS GOTTLIEB BEYERVS,

COBVRGENSIS.

COBVRGI,

Typis MAVRITII HAGENII, TYPOGR. AVL. DVCAL. VIDVÆ ET HÆRED.



VIRO
MAGNIFICO, SVMME REVERENDO, AMPLISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
JOH. GERHARDO MEVSCHENIO,
Senatus Ecclesiastici Coburg. & Isenac. Consiliario Gravissimo,
Superintendenti Generali Vigilantissimo, Illustris Athenaei Casim. Scholarcha
Spectatissimo, Pastori ad D. Mauritii Fidelissimo, Professori Theologiae
Primario Eruditissimo, Reg. Boruss. Societatis Scient. Socio
Dignissimo,

PATRONO,
FAVTORI ET PRÆCEPTORI SVO
Nullo non pietatis, obsequii & honoris cultu summopere
venerando,

Has studiorum suorum qualescunque primitias,
Animi observantis & grati pro acceptis tot favoris pignoribus tenue pignus
ac monumentum,
Cum summae ac perpetuae felicitatis voto
offert & consecrat

SEB. GOTTLIEB BEYER.





PROOEMIVM.

QVanquam illud Judæorum pronunciatum שבעים פנים יש לתורה *ſeptuaginta facies ſunt legi*, h. e. ut explicatur in *Tract. Talm.* שבת *Sect. IX.* כל דבור ודבור שיצא מפי הגבורה נחלק לע׳ לשונות *unumquodque verbum, quod egreditur ex ore Dei, dividitur in ſeptuaginta ſignificationes*, quod ad Scripturæ S. excellentiam, divitias ac profunditatem deſcribendam nonnunquam adhibuerunt, de univerſo Codice S. in genere, ſi ſcil. ad ſenſum cum veritate Chriſtiana convenientem reſtringitur, ſit veriſſimum, *Chryſoſtomus* pariter eundem recte dixerit *animarum pharmaca*, & Cel. *Dannhauerus ſingulas ejusdem voculas cum penetrantiſſimis pharmacorum guttulis* jure comparaverit: hæc tamen elogia uni vel alteri effato divino, majores divinæ gratiæ ac promiſſionum divitias complectenti, in ſpecie & præ cæteris tribuenda eſſe, omnino quoque videtur affirmandum. Inter hæc autem primum certe locum obtinet aureum illud vel auro omni pretioſius dictum *Jeſaiæ*, quod is de expiatione criminum noſtrorum per Chriſtum juſſu divino *Cap. LIII. 4.* enunciat. Nam ad dictum hoc quod attinet, omnes profecto illius voculæ plenæ ſunt divinæ gratiæ, plenæ ſolatii, plenæ ſalutis, omnes tanquam penetrantiſſimæ pharmacorum guttulæ graviſſimas tentationes maximasque anxietates, quibuscum Chriſtiani ſæpius conflictantur, non lenire ſolum, ſed auferre plane valent. Quid enim Chriſtiano dulcius eſt? quid ei majus affert ſolatium, quam certiſſima expiatio peccatorum ſuorum per Chriſtum facta? Cum igitur effatum hoc divinum tantæ ſit virtutis, tantæque præſtantiæ, & ſimul inſtar ſcuti objici poſſit omnibus ſatisfactionis Chriſti hoſtibus, imprimis eo-

rum duci *Fausto Socino*, hinc etiam non potest certe non omnibus Christianis carius esse מאלפי זהב וכסף secundum *Psal. CXIX, 72.* imo pretiosius omnibus orbis divitiis. Quoniam autem pretiosum hunc thesaurum (Thesauro enim pretiosissimo cuique maxime plerumque parantur insidiæ) Christianis eripere, imo retundere aciem hujus argumenti & omni tempore laborarunt & adhuc laborant hostes veritatis, atque imprimis in *Matthæo*, idem dictum *cap. VIII, 17.* laudante, scopulos reperisse sibi persuadent, ex quibus communi Christianorum & veræ sententiæ, periculosæ, imo insuperabiles plane nascantur difficultates: non abs re, præsertim hoc tempore, quo in cœtibus Christianorum historia Passionis Christi consideranda fuit proposita, fore putavimus, si ista de quæstione dispiceremus accuratius & utrumque locum inter se, salva fidei analogia, ad mentem Spiritus S. rite compararemus. Antequam autem ipsum institutum nostrum aggredimur, Deum T. O. M. humillime devotissimeque precamur, velit Spiritus sui, qui hæc dictavit, gratia & auxilio gratiose & largiter nobis adesse, mentemque ita dirigere, ut omne hoc nostrum inceptum in sanctissimi Nominis sui gloriam & veritatis confirmationem eveniat perficiaturque feliciter.

  

Esaiæ LIII, 4.

אכן חליינו הוא נשא ומכאבינו סבלם׃

Matth. VIII, 16. 17.

Ὀψίας δὲ γενομένης προσήνεγκαν αὐτῷ δαιμονιζομένους πολλούς· καὶ ἐξέβαλε τὰ πνεύματα λόγῳ, καὶ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας ἐθεράπευσεν. Ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, λέγοντος· Αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν.

SECTIO I.

Expendens varias Interpretum sententias.

§. 1.

Illustre hoc Jesaiæ vaticinium accuratius consideraturi, præmonendum esse duximus, non fore nos solicitos de inanibus ac nullius plane momenti Judæorum aliorumque eorum partes tuentium detorquendi rationibus, quibus quidam ad gentem Judaicam, alii ad Jeremiam, alii ad Josiam, alii ad Zorobabelem, alii ad Mosen, alii ad Angelos Ministros, alii

deniqu

denique ad quemvis justum in genere (confer. *Ant. Hulsius in Theolog. Jud. de Messia. Joh. Thilo in Med. Theol. V. T. pag. 937.*) & nescio quid amplius, effatum hoc divinum detorquere conantur, cum & res hæc ab Interpretibus adjecta omnium objectionum refutatione satis jam sit exposita & a præsenti nostro instituto alienior, imprimis vero inter Christianos, quin in hoc vaticinio de Christo, Salvatore nostro ac Medico corporis & animi agatur, nullum, ut arbitramur, restet dubium.

§. 2.

Omnem potius, hoc ultimo, ut immota & certissima veritate, præsupposito, adhibebimus operam, ut post doctissimorum Virorum laudatissimas utilissimasque habitas hujus rei messes spicilegium aliquod instituamus, periculum scilicet facientes, an aliquid, ut jam diximus, ad accuratiorem stiloque Spiritus S. convenientiorem utriusque loci conciliationem conferre valeamus. Prius vero quam necessariis adhibitis argumentis ipsam hanc tentamus conciliationem: removendæ omnino nobis sunt istæ difficultates ac impedimenta, quibus multi adhuc ex Interpretibus, ut nobis quidem videtur, ab accuratiori utriusque loci conciliatione sunt impediti, & quibus stantibus nec nostra conciliatio locum habere posset.

§. 3.

Ponimus ergo primo loco, *minime satisfieri verbis & scopo Evangelistæ, si dicatur, hoc Jesaiæ vaticinium impletum esse in citatione Matthæi sensu tantum accommodatitio*, h. e. proprie agi solum in citato Jesaiæ effato de Passione Christi, deque nostra spirituali per eam sanatione, sive de expiatione peccatorum nostrorum; non autem simul de morborum corporalium curatione, sed ad hos κατ' ἀναλογίαν saltem a Matthæo dictum hoc accommodari.

§. 4.

His ita positis, relinquendæ nobis sunt partes eorum, qui sententiam hanc nostræ contrariam foverunt & adhuc fovent. In horum autem numerum referendus est *Joh. Oecolampadius Hypomn. in Es. Lib. VI. pag. 263.* ubi dicit: *Matthæus Evangelista cap. VIII. in suum negotium hæc verba deflexit, docens Christum sanasse morbos infirmorum, sed per hoc docet, quod sanatio illorum morborum figura fuerit sanatorum morborum animi.* Item *Erasmus Roterodamus, in Annotat. in N. T. p. 44.* dicens: *Adduxit hoc testimonium Matthæus ex Esaiæ cap. LIII. nonnihil ad suum deflectens negotium. Etenim, quod illic dictum est de Passione Christi & sublatis hominum peccatis, hic accommodat ad ægrotos sanatos.* Porro *Joh. Maldonatus*, Jesuita *in Comment. in Matth.* dicens:

Quod

Quod a Propheta de peccatis dictum erat, Evangelista ad morbos corporis accommodat quia -- ita solet Matthæus prophetias non ad eundem, sed ad similem sensum accommodare, ut cap. II, v. 15. 18. nec non *Cornelius Jansenius in Comment. in Concord. Evangel.* cujus verba sunt: *Quod testimonium, etsi ab Esaia potissimum dictum sit de morbis animorum -- Matthæus tamen, qui Judæis scribens frequenter V. T. scripturas factis circa Christum adaptat, hoc testimonium citat de infirmitatibus & morbis corporum -- Quo itaque Evangelista insinuaret, curatione corporali demonstratum esse curatorem mentis, quod de malis animi præcipue dictum fuit, adaptat morbis corporis.* Et ex nostris Theologis *Joh. Gerhardus Confess. Cath. Lib. II. pag. m. 183.* Qui recensita sententia *Jansenii* ita dicit: *Ergo Matthæus hoc dictum citat per accommodationem, non autem in sensu literali.* Item *Sal. Glassius Philol. S. L. II. Part. I. Tract. II. Sect. I.* qui propositis rationibus, quibus adductus Evangelista verba illa applicaverit ad suum scopum, concludit denique: *Manere simplicem & unum verborum Esaiæ sensum, quem κατ' ἀναλογίαν Matthæus ad propositum suum accommodet;* cujus vestigia premit *Joh. Thilo in Medulla Theol. V. T. pag. 942.* & *Commentatores Bibl. Vinar. ad c. l. Matthæi.* A quorum partibus ex Reformatis recentioribus stant etiam *Mrs. De Beausobre & Lenfant in Notis ad N. T.* gallice edit. Amstel 1716. 4. quorum verba ita se habent: *Cet oracle d'Esai LIII. 4. regarde proprement les pechez des hommes, dont les maladies sont l'image & les effets -- S. Matthieu applique cet oracle a la guerison des maladies & il n'est pas extraordinaire aux anciens Théologiens des Hebreux d'employer le même texte de l'Ecriture, pour prouver deux veritez, sour tout lors qu'il s'agit de choses, qui ont du rapport & de la liaison ensemble.* Nec non *Henr. Hammondus in Annotat. ad N. T.* & ejus Commentator *Joh. Clericus*, qui inde hoc porisma deducit: *Non esse nimium urgenda verba prophetiarum, quæ non minus impleta censeantur, etiam dilutiore sensu intellecta,* &c. Sed ex quibus principiis ultima hæc verba proficiscantur & quam digna sint Sanctissimo Sacrarum Literarum Autori, judicet quæso lector Christianus.

§. 5.

Ad hanc ipsam autem quod attinet sententiam, ab assensu ejus impedimur inducti hac ratione, quia scilicet diligenter nobis cavendum esse videtur, ne occasio præbeatur hostibus veritatis, imprimis vero Judæis, cum aliqua veri specie nobis objiciendi, nostra ipsorum confessione hoc vaticinium præter mentem & intentionem Prophetæ a Matthæo citari, ac proinde hanc Matthæi probationem valde infirmis superstructam esse fundamentis, vel potius nullam plane illius, quod probare debeat, habere probandi vim.

§. 6. Nam

§. 6.

Nam ſcopus Evangeliſtæ, ut omnis, paulo diligentius illum attendens, facile perſpiciet, eo ſpectat, ut miraculoſam morborum curationem in *δαιμονιζομένοις καὶ πᾶσι τοῖς κακῶς ἔχουσιν* a Chriſto exhibitam ponat inter characteres Meſſiæ, eamque jam olim in citato loco ab Eſaia prædictam doceat; idque ea quoque de cauſa, ut oſtenderet Judæos tunc temporis exinde colligere debuiſſe, & adhuc colligere debere, JEſum hunc Nazarenum eſſe Chriſtum ſ. verum משיח. Omnino enim hoc argumentum animos Judæorum convincere debuiſſet, quia conſtat ex veritate illis notiſſima, Nam ad characteres Meſſiæ miraculoſam morborum curationem pertinere, non ſolum alia quoque V. T. loca e. g. *Jeſ. XXXV*, 3. 4. 5. & *cap. XLII*, 7. diſerte teſtantur, ſed & Chriſtus ipſe clariſſimis verbis ob oculis illis poſuit *Lucæ IV*, 18. 21. *Matth. XI*, 4. 5. Id quod ad noſtrum Matthæi locum eleganter etiam docet *Lucas Oſiander*, *Parte II. Bibl. S.* dicens: *Itaque Chriſti miracula ſunt certiſſima & firmiſſima teſtimonia, hunc JEſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam, Deum verum, qui in hunc mundum venerit, ut nos a tyrannide Satanæ vindicaret.* Quid quod ipſo antiquiſſimo illo *R. Simeonis F. Jochai* teſtimonio hoc confirmatur? Hic enim in ספר הזוהר *ad Exod. in* ויקהל *pag.* (edit. Amſtel.) 212. ita ſcribit: כד היו ישראל בארעא קידשא באינון פולחנין וקרי׳ וקרבנין דהוו עבדי הוו מסלקין כל אינון מרעין ויסורין מעלמאי השתא משיח מסלק לון מבני עלמא: h. e. *Quamdiu fuerunt Iſraëlitæ in terra ſancta, per cultus iſtos & ſacrificia, quæ fecerunt, abſtulerunt omnes iſtos moribos & caſtigationes a mundo. Nunc vero Meſſias eos auferet a filiis mundi.*

§. 7.

Nulla vero citati hujus argumenti Matthæi remanet vis, ſi ad nudam confugiamus accommodationem. Nam (α) cadit illud, (quod tamen Matthæus hoc dicto vult probare,) miraculoſam morborum curationem pertinere ad characteres Meſſiæ, eamque in hoc Jeſaiæ vaticinio jam olim eſſe prædictam; quia hac de re in illo proprie non agitur. (β) Judæi facile inde prætextum capiant incredulitatis ſuæ, colligentes hoc modo: quia in vaticinio Jeſaiæ (quod Matthæus adducit ad probandum, curationem morborum miraculoſam eſſe characterem Meſſiæ, & Jeſum Nazarenum, quia hanc perfecerit, eſſe verum Meſſiam,) nullo modo, ipſis fatentibus Chriſtianis, proprie de miraculoſa morborum curatione, Meſſiæ charactere, agitur, ſequitur, non ſolum citationem Matthæi eſſe erroneam, ſed & Jeſum Nazarenum verum

eſſe

esse Messiam, ex hoc dicto non posse probari. Eo enim certe modo *Porphyrius* olim calumniabatur, *coactius*, dicens, aut, ut alii ejus sententiam referunt, *incogitanter*, *Matthæum hoc vaticinium ad scopum suum applicare;* quibuscum verbis conveniunt, vel potius pravitate ea antecedunt calumniæ *R. Isaaci*, quas contra Evangelistas & Apostolos in genere protrusit in ספר חזוק אמונה pag. 25. id quod evidentissimo documento est, quam anceps hoc sit utrumque locum conciliandi medium.

§. 8.

Imo ipsa ab Evangelista ex instinctu Spiritus S. adhibita allegandi formula, ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐȣ προφήτȣ, repugnare videtur sensui accommodatitio. Nam (α) conjunctionis ὅπως, *ut*, notio causæ finalis eum admittere nequit. Licet enim illa sæpius ἐκβατικῶς tantum exponenda sit, tamen, si connexionem & verba textus accurate consideramus, certe h. l. αἰτιολογικῶς videtur accipienda. Ea enim de causa Christus a Diabolo oppressos variisque morborum generibus affectos sanavit, ut per hoc impleretur Jesaiæ vaticinium, & eum, de quo Jesaias vaticinatus sit, se esse declararet. Et hoc etiam Cel. *Glassius Grammat. S. Lib. III. Tract. VII. Can. XIX. Nota pag. 827.* quodammodo affirmare videtur. Ibi enim dicit: *Pertinere ad hunc* (scilicet Canonem XIX. de ἐκβατικῶς sumenda conjunctione Ut,) *canonem ea quoque dicta, in quibus hoc vel illud ut malum dicatur factum, ut implerentur prophetica oracula. Ibi enim consequens & eventum prædictionis, non proprie sit dictum effectum, innui. Non enim velle Deum mala nec prædicere, ut fiant.* Ex his enim Cel. *Glassii* verbis, collatis præsertim adductis ab eo exemplis, omnino colligi posse videtur, conjunctionem ἵνα & æquipollentem ὅπως in iis tantum allegandi formulis, quibus per malum aliquod perpetratum prophetia aliqua dicitur impleta, ἐκβάσεως significationem habere, in iis vero, quæ de Messiæ characteribus & aliis ab Illo perficiendis rebus agunt, omnino αἰτιολογικῶς esse exponendam. Profecto enim hujusmodi allegandi formulis ac citationibus proprie sic dictus prædictionis effectus innuitur. Deus enim omnino voluit, hæc a Prophetis prædicta Filii sui, ut veri Messiæ, indubitatos esse characteres, eademque prædixit, ut fierent, & a Filio suo ad declarandum & perficiendum redemtionis opus peragerentur: uti hoc Christus ipse affirmat Luc. XXIV. 44. coll. 46. & imprimis Matthæi XXVI, 54. Et his ita positis, sat prono alveo exinde fluere videtur hoc ratiocinium: *Quæcunque miracula a Spiritu S. eum in finem facta dicuntur, ut per ea impleatur allegatum aliquod vaticinium Jesaiæ, illa diserte & proprie in allegato illo vaticinio Jesaiæ prædicta esse debent. Atqui Miracula Christi Matth. VIII, 16.* ⟨

Spiri

Spiritu S. eum in finem facta dicuntur, ut per ea &c. Ergo. Majoris probationem exhibent ſanctitas, veracitas, ſapientia, autoritas &c. Sanctiſſimi Scripturæ Autoris. Minor vero modo dictis ſtabilitur. (β) Verba πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐȣ indicant, non ſolum idem illud, quod Spiritus S. per Matthæum vult probare, diſerte & eodem plane (non accommodatitio) ſenſu ab Illo in citato Jeſaiæ vaticinio eſſe prædictum, ſed etiam per Chriſti miracula, quæ à Matthæo commemorantur, plenum perfectumque verborum Jeſaiæ factum eſſe complementum. Quomodo enim Spiritus S. per Matthæum dicere poſſet, πληρωθῆναι τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐȣ, ſi eodem hoc ſenſu hæc verba per Jeſaiam non prædixerit? Hinc ergo argumentamur: *In cujuscunque dicti allegatione, ſenſusque ejus per expreſſum complementum explicatione Spiritus S. tali utitur formula, quæ non niſi unum eundemque vaticinii & citationis ſenſum declarat, in illa nequaquam obtinet ſenſus accommodatitius. Atqui in Jeſaiæ dicti allegatione ſenſusque ejus &c. Ergo.* Major per ſe patet. Minoris vero probationem exhibent modo dicta.

§. 9.

Licet autem ſupra §. 4. citata verba *Mrs. de Beauſobre & Lenfant* & ea, quæ a Cel. *Guil. Surenhuſio* in ספר חמשורה i. Βίβλῳ καταλλαγῆς de Matthæi allegandi formula ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν, quod ſit Hebræorum formula לקיים מה שנאמר hujusque uſui reſpondeat, aſſeruntur, hactenus dicta deſtruere & contra quodammodo ſenſum accommodatitium ſtabilire videantur, dum dicit *pag. 2. Theſ. II. Hac* (Hebræos) *formula uti ſolere, quando non ipſa Moſis & Prophetarum verba, ſed eorum ſenſum, qui tanquam axioma aliquod ex iis eliciatur, allegent.* Et *pag. 222, Eſſe* (ſcilicet citatam formulam Matthæi) *Hebræorum allegandi formulam* לקיים מה שנאמר, *quâ veterum Hebræorum Theologi uſi fuerint, quando non id ipſum, quod de re vel perſona aliqua intelligendum ſit, ex Scriptura, ſed ex ſenſu colligi poſſit:* tamen non omni ex parte ſatisfacere ſtiloque Spiritus S. dignum nobis videtur, a Talmudiſtarum & Rabbinorum allegandi formularum uſu concludere ad uſum formularum allegandi Evangeliſtis & Apoſtolis proprium, Viris omnia ex immediata Spiritus S. inſpiratione ſcribentibus & infallibilitatis, ut ita dicam, dono præditis. Conſtat enim, utrumque Talmud longe poſt Apoſtolorum & Evangeliſtarum tempora eſſe confectum, & auctorem non Deum, ſed potius Judæos, divina illuminatione deſtitutos, (id quod inanes & lepidæ in Talmude recenſitæ fabulæ &c. teſtantur; *confer Joh. Buxtorfii Recenſio oper. Talm. p. 228. ſq. Aug. Pfeifferi Faſcic. Diſſ. Philol. Diſſert. I. de Talmude. Gerſonis* der Jüden Talmud vornehmſter Innhalt und Wiederlegung. *Joh. Andr.*

Eiſen-

Eisenmengers Entdecktes Jüdenthum. *Joh. Mülleri* Jüdenthum. *David.* Nerreters Jüden- und Heyden-Tempel. *pag. 141. sq. &c.*) agnoscere, qui & in explicatione locorum Scripturæ & consequenter etiam in allegatione & allegandi formularum usu, sæpissime a vero Spiritus S. sensu recedunt, quin etiam dicta, ipsis satis perspicua, studio in alienum detorquere solent sensum. Hinc autem porro antea probandum etiam esset, tempore Evangelistarum & Apostolorum easdem allegandi formulas & eodem sensu, quo apud Talmudistas & recentiores Rabbinos, apud veteres Judæos fuisse usitatas: & si etiam hoc omni ex parte concedamus, tamen propterea non statim adduci possumus, ut credamus, ab Evangelistis & Apostolis instinctu Spiritus S. formulas illas usu apud Judæos recepto, qui tamen dissidiorum præbet occasionem, imperfectus est & ad probandam fidei doctrinam valde infirmus, esse adhibitas.

§. 10.

Hactenus dicta autem quam vera, imo meridiana luce clariora sint, etiam alii jam agnoverunt, & imprimis notari merentur ea, quæ hac de re *Jacobus Bonfrerius* egregie ac vere disserit in *Præloquio in Scripturam S.* Verba autem ejus hæc sunt: *Accommodatitius sensus tantummodo æquivoce sensus est & ad probandum vim nullam habet: unde asserere, Apostolum uti ad probandum sensu accommodatitio, idem est, atque asserere, Apostolum uti Scripturæ locis ad probandum, reipsa tamen nihil probare: Ipsum adscribere locis Scripturæ sensum, quem revera non habent, dicereque sensum a Spiritu S. esse intentum, quem ipse revera non intendit.* Et huc etiam referri posse videntur verba Cel. *Glassii*, sensum accommodatitium alioquin amplectentis, *Philol. Sacr. Lib. II. Par. I. Tract. I. Sect. I. n. 3. pag. m. 250.* Illa enim, (si modo loco propositi ab eo ad probandum sensum literalem & mysticum argumenti hoc utaris ratiocinio: *Si ab Evangelistis & Apostolis in N. T. ad probanda opera Christi exhibita explicatio vaticinii alicujus V. T. non est ipsius vaticinii illius sensus, sequitur, vaticinium illud V. T. citari & applicari ad opera Christi præter loquentis in V. T. intentionem,*) egregie quoque nostram confirmant sententiam.

§. 11.

Sed expositis breviter difficultatibus, quibus laborare nobis videtur in conciliatione utriusque dicti *sensus accommodatitius*, progredimur ad aliam explicationem rite instituendæ conciliationi utriusque loci obstantem, quæ est opinio, statuens *duos hujus dicti esse sensus literales*, alterum de peccatis nostris, alterum de morbis corporalibus.

§. 12.

Placuit hæc de pluralitate sensus literalis opinio variis eruditorum ex

Eccle

Ecclesia Pontificia, inter quos notari meretur *Hector Pintus*, Lusitanus, qui *in Commentario ad Jes.* ita dicit: *Hinc colliges apertissime, unum eundemque S. Scripturæ textum duos sensus literales habere. Loquitur enim Jesaias de peccatis nostris, ut litera ipsa demonstrat, & eam D. Petrus interpretatur, & tamen loquitur etiam de corporis morbis, de quibus Evangelista eum literaliter exponit.* Item *Cornelius Cornelii a Lapide in Comment. ad Matthæum*, cujus verba, quia longiora sunt & cum præcedentibus ejusdem plane sententiæ, brevitatis causa omittimus. Nec non *Becanus* a *Glassio Philol. S. pag. 274. Joh. Thilone Medull. Theol. V. T. pag. 942.* aliisque refutatus, quippe qui, duos hujus dicti esse sensus literales, pariter ut priores ex eo colligere voluit, quia a Petro *1. Petr. II, 24.* hoc vaticinium secundum literam exponatur de peccatis nostris: a Matthæo autem c. l. literaliter tantum de morbis corporalibus. Plures sensus literalis pluralitatem statuentes vid. *in Cel. Joh. Gerhardi Confess. Cathol. Lib. II. pag. m. 179.* Quæ tamen horum Virorum opiniones nec *Caspari Sanctio*, nec *Gabrieli Vasquezio* nec aliis ex Pontificiis (quos vide *in Joh. Gerhardi cit. Conf. Cath. ib. pag. 180.*) sunt probatæ. Hinc enim *ille in Commentario ad Jesaiæ cap. LIII.* dicit: *Valde controversum est, an duo sensus literales esse possint ejusdem literæ, nisi illi in aliquo ordine ita conjungantur, ut alter alteri supponantur. Quod hic, qua ratione fiat, non apparet. Hujus* vero verba *in Partem I. Thomæ Tom. I. Disput. XVIII. cap. 5.* hæc sunt: *Anshelmi sententia, licet in hoc mihi non probetur, in eo tamen vera est, quod duplicem sensum literalem diversum non concedit.*

§. 13.

Est enim hæc opinio a veritate alienissima, nec salva illa ullo pacto stare potest, quia, ut ex Theologorum nostrorum scriptis satis constat, certitudini, perspicuitati ac fini Scripturæ S. omni ex parte repugnat. Sequeretur enim ex pluralitate sensus literalis, Scripturam non solum ambiguam & consequenter incertam, sed etiam obscuram esse ac proinde non idoneam ad homines ad salutem sapientes reddendos. *confer. Joh. Gerhardi Confess. Cathol. c. l. pag. 178. 179. Sal. Glassii Phil. S Lib. II. Pars I. Tract. II. Sect. I. pag 264. seq. Calovius Tom. I. Syst. LL. Theolog. pag. 662. sq.* Uno verbo, si duo pluresve unius ejusdemque effati divini sensus essent literales, veritatis Christianæ miserrima esset conditio, & totius fidei doctrinæ perturbatio maxima, ita ut nullus certus esse possit, quæ sibi sint credenda & agenda, aut quæ rejicienda & mittenda. *Καὶ γὰρ ἐὰν ἄδηλον φωνὴν σάλπιγξ δῷ, τίς παρασκευάσεται εἰς πόλεμον; 1. Cor. XIV, 8.*

§. 14.

Minima denique ex parte eam conciliationem approbandam esse sentimus, quæ non solum sensum illustrissimi hujus Jesaiæ vaticinii plane evertit, sed & imprimis ipsum salutis nostræ fundamentum, quod est satisfactio JEsu Christi, funditus diruere conatur, nec ulla ex parte cum rationibus linguæ textus authentici tam Veteris quam N. Testamenti, nec rerum ipsarum consentit.

§. 15.

Talis vero est *expositio famosi illius Fausti Socini*, quippe qui, volente ita falsa sua hypothesi de negata Christi satisfactione, existimat, *Jesaiam in laudato effato divino nihil amplius de Christo affirmasse, nisi quod homines morbis corporalibus, laboribus ac pœnis liberaverit, & Ferre peccata s. pœnas peccatorum, idem esse ac Auferre per condonationem*, ita quidem ut nullo modo divinus Vates in hoc dicto dicat, Christum peccata nostra eorumque pœnas in se suscepisse, ut pro iis satisfecerit.

§. 16.

Hanc autem opinionem & explicationem laudati vaticinii repugnare rationibus linguæ, inde apparet, quia *Socinus* confundit duas voces Hebraicas נשא & סבל. Quod enim ad *priorem* attinet, illa quidem, ut omni, qui primoribus labris saltem attigit Philologiam Hebræam, etiam constat, non tantum *Ferendi*, sed & *Auferendi* notionem habet. In hac enim significatione occurrit *Exod. XXXIV, 7. Numer. XIV, 18. Gen. IV, 13. Ps. XXV, 18. &c. Posterior* vero non nisi in notione *gestandi, portandi, bajulandi* in Sacris legitur, e.g. *Gen. XLIX, 15. Jes. XLVI, 4. & 7. Psal. CXLIV, 14.* ad quem ultimum locum conferri meretur *R. Salomon ben Melech in* ספר מכלל יופי ubi ad vocem מסבלים dicit: ענינו כובד המשא וטעינתו על הכתף ·· או ענין מסובלים לרוב הבשר והשומן - - - כאלו הבשר והשומן עליהם למשא h. e. *Habet notionem gravis oneris, quod impositum est humeris. - - Aut significatio vocis* מסובלים *respicit multitudinem carnis & pinguedinis - - ac si caro & pinguedo illis esset oneri.* Nunquam vero invenitur in significatione *auferendi.* Male ergo ex generaliori significatu prioris vocis נשא posterioris סבל notionem in dubium revocare voluit. Et hoc ipse etiam *Grotius in defensione fidei Catholicæ pag. 11.* contra *Socinum* observavit, dicens: *Vox* נשא *quidem significat auferre,* סבל *vero nunquam, sed sustinere, bajulare; & quoties id ponitur cum nomine peccati, id in omni lingua & maxime in Hebraismo significat, pœnas ferre. Diserte igitur hic dicitur, Christus laturus pœnas eorum, qui justificantur. Hæc phrasis nullam aliam interpretationem recipit &c.*

§. 17.

Simili de causa *Gabrielis Alvarez,* Oropesani Jesuitæ, cogitationes nec omni ex parte locum habere possunt, nec omnes plane removent difficultates. Cum enim is verba חליינו הוא נשא *ad peccata,* sequentia ומכאבינו סבלם *ad morbos corporis secundum literam* referenda arbitretur & propterea verbum סבל *utrumque* significare, & *Ferre* & *Auferre,* ut latinum *Tollere*, quorum alterum græca editio (reddens per περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται) alterum evangelica citatio (reddens per ἐβάςασε) sumserit: jam commemoratis linguæ rationibus, perpetuo scilicet usu verbi סבל, refellitur.

§. 18.

Licet igitur omni ex parte, præsertim ad Philologiæ usum si spectes, sententia *Gabrielis Alvarez* retineri non possit: tamen non possumus non confiteri, illum in ipsa re & fundamento conciliandi vaticinium Jesaiæ cum citatione Evangelistæ, aut potius sensu Spiritus S. apud utrumque Scriptorem explicando plenius vidisse aliquid veri: dum in eodem hoc dicto & de susceptione peccatorum nostrorum & de curatione morborum corporalium agi asseveravit. Interim tamen, quia hanc suam sententiam explicare satis & necessariis verisque argumentis confirmare non potuit: quippe ab accuratiori linguæ sanctæ ac Philologiæ notitia imparatior, experiamur nunc sepositis hactenus dictis, an monstratam a *Gabriele Alvarez* conciliandi viam assumtis necessariis adminiculis absolvere possimus felicius.

SECTIO II.

Proponens nostram de accuratiori conciliatione sententiam.

§. 1.

PRinceps interpretationis & exinde rite instituendæ conciliationis adminiculum est firmissima regula illa hermeneutica: *Scriptura ex Scriptura est explicanda;* sive, ut loquitur Cel. *Joh. Guil. Baierus Compend. Theol. Exeget. Cap. IV. §. 1. Sicut scriptores sacri non sua propria sed Dei verba scripserunt; ita & lector eorum non sua propria interpretatione potest uti, sed ad hoc omni studio debet attendere, quomodo sua verba voluerit intelligi ipse, qui scripsit.* His enim rite observatis, statim apparet, accuratam sensus verborum Matthæi cum citato vaticinio Jesaiæ esse convenientiam. Scilicet sensus verborum Evangelistæ videtur innuere, esse in verbis Jesaiæ aliquid, quod directe & ad literam respiciat effectas a Christo divina potentia miraculosas morborum curationes.

§. 2.

Cui rei major affulgebit lux, si ponamus; (quod quidem ab intelligen-

 tibus

tibus haud difficulter nobis datum iri confidimus, cum ſit res in Harmeneutica ſacra (*conf. Joh. Reinhardi Hermen. Sacr. pag. 258. &c.*) fundata, nec a veritate ullo modo aliena.) Verba Sanctiſſimi Scripturæ Autoris non eſſe præter neceſſitatem nimium reſtringenda, ſed ſi ſalva veritate & verborum rerumque connexione fieri poſſit, in ſenſu ampliſſimo capere licere. Hoc enim quodammodo etiam poſtulare videtur gentium orientalium loquendi ratio, quippe quæ admodum fuit conciſa, ita ut multa paucis dicere conſueverint.

§. 3.

Itaque putamus ſub adhibita in Jeſaiæ vaticinio voce חליים, quicquid morbi rationem habet in homine, tam in corpore, quam in animo, recte comprehendi & utriusque partis ſanitatem a Chriſto, Salvatore noſtro ac Medico, procurari nobis, per Prophetam in hoc effato divino promitti.

§. 4.

Radix enim חלה & hinc derivatum nomen חלי non ſolum generatim quamcunque virium imminutionem inferunt, ſed & ſpeciatim interdum de morbis ac infirmitatibus corporis, interdum de morbis ac infirmitatibus animi uſurpantur. Nec dubium eſt, quin in accuratiori Codicis ſacri V. T. perlectione plura etiam loca poſſint inveniri, in quibus æque ac h. l. & radix חלה & hinc deductum nomen חלי in ampliori ſenſu pro quocunque, quod in homine morbi rationem habet, tam in corpore, quam in animo, adhibeatur: ad quæ quodammodo referri poſſe videntur loca Cantic. II, 5. & imprimis c. V, 8. ubi eccleſia & in ſpecie quilibet in vera cum Chriſto communione conſtitutus, querens, ut ex præcedentibus patet, de amiſſione vel potius defectu ſenſus gratiæ ac clementiæ divinæ, dicitur חולת אהבה h. e. *ægrotans amore*. Cum autem conſtet, ejusmodi tentationum tempore vere Chriſtianos non ſolum maximam, imprimis accedente recordatione peccatorum ſuorum, anxietatem & triſtitiam animi ſentire, ſed etiam propter hanc magnis quoque infirmitatibus corporis affici, uti hoc Davidis exemplum ſatis comprobat Pſ. VI, 3. 4. 7. & 8 Pſ. XXXVIII, 4. 7. 8. & 11. &c. *confer. Chriſt. Frid. Læmmelii* der hochangefochtenen Seelen Paradieß. videntur verba שחולת אהבה אני, aſſumtis ſimul præcedentibus, hoc ſibi velle: *Adjuro vos, Filiæ Jeruſalem! ſi inveneritis dilectum meum, ut indicetis ei, quod* ob ſummum, quo premor, gratiæ ſuæ defectum & ardentiſſimum ejus deſiderium magna & animi anxietate ac triſtitia, & inde naſcente corporis infirmitate afficiar.

§. V.

Hanc autem vocis חליים explicationem h. l. locum habere poſſe ac debere, confirmat etiam res ipſa. Chriſtus enim venit in mundum & opus redem-

demtionis in se suscepit, non ut unam saltem hominis partem, sed ut totum hominem quoad corpus & animum in integritatem restitueret. Vt enim utraque hominis pars, corpus & animus, per peccatum corrupta est: ita utriusque sanatio per Christum fuit perficienda. Hinc etiam disertis clarissimisque dictis Scripturæ docemur, Christum, Salvatorem nostrum, fideles aliquando in altera vita & ab omni peccato atque animi infirmitate, & ab omni malo ac infirmitate corporis plane fore liberaturum.

§. 6.

Neque tamen temere dixerimus cum *Socino, de solis morbis & doloribus corporis agere Prophetam in membro dicti alterutro,* sed potius affirmamus, verba Prophetæ pertinere quoque ad infirmitates animi & peccatorum. Iccirco tamen non in hujus rei probatione contra *Socinum* aliosque multum nunc desudabimus, cum omnia huc spectantia ex doctissimis Theologorum scriptis luculenter possint hauriri; *conf. Bechmanni Theol. Polem. p. 600. 601. Franzius in Diss. ult. de Sacrificiis. Meisnerus in Consider. Theol. Photin. p. 840. seq.* sed dicemus tantum, hanc rem cum imprimis ex hujus *c. LIII, 11.* ubi dicitur de עבר צריק s. de Christo ועונתם הוא יסבל *& iniquitates eorum ipse portabit,* & v. 12. cujus verba sunt: והוא חטא רבים נשא *& ipse peccata multorum sustulit,* probari; tum ex *Judæorum* veterum æque ac recentiorum confessione & *Christianorum* plerorumque omnium consensu non male posse colligi.

§. 7.

Quamvis enim *Judæi*, ut jam initio Sectiones I. monitum est, divinum hoc effatum plerumque *ad gentem suam* detorqueant, quæ secundum hujus dicti sensum portare debeat gentium peccata eorumque pœnas, eademque de causa affligatur in exilio præsenti: peccata tamen gentium, pro quibus Judæi hæc sustineant, subindicari volunt.

§. 8.

Et idem hoc testatur etiam Paraphrasis Chaldaica Jonathanis, quæ ita se habet: בכן על חובנא הוא יבעי ועויתנא בריליה ישתבקון *Propterea pro debitis nostris ipse deprecabitur & iniquitates nostræ propter eum dimittentur.* Licet enim hæc recedat a textu authentico, nec sensum ejus satis exprimat: nihilominus tamen ostendit ejus autor, de peccatis ac infirmitatibus animi in hoc vaticinio agi se affirmare, dum Hebraicum חליינו reddit per Chald. חובנא *debita, delicta nostra,* & Hebraicum מכאבינו per Chald. עויתנא *iniquitates nostræ.* Et eodem denique redit etiam *Versio LXX. Interpretum,* quippe qui חליינו verterunt per τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν.

§. 9.

§. 9.

Quod autem ad vocem נשא attinet, constat inter omnes & jam supra §. XVI. probatum est, eam non tantum *ferendi*, *portandi*, sed etiam sæpius *auferendi*, *tollendi* notionem habere. Cum vero quidam Philologorum & Interpretum simul asserant, verbum נשא duplicem *auferendi* notionem habere, significare videlicet vel auferre tollendo de medio, vel auferre tollendo in humeros, & h. l. ultimam notionem obtinere ac proinde significare, *peccatum auferre in se transferendo*, *sive tollere persolvendo*: nos statuimus contrarium, scilicet priorem potius significationem, qua auferre tollendo de medio significat, h. l. in voce נשא locum invenire; in qua notione etiam occurrit *Gen. IV, 13. Ps. XXV, 18.* &c. id quod ex sequentibus magis constabit.

§. 10.

Neque vero opus etiam est, (præsertim, quia tunc tautologiæ oriri quoque possit suspicio,) ut h. l. dicatur, verbum נשא, quia πολύσημον sit & ambiguum, in membro sequenti hujus dicti exponi per סבל & unum hemistichion in hoc Jesaiæ dicto esse alterius ἐξηγητικὸν & παραλλήλως sibi invicem respondere hæc duo membra: Languores nostros tulit & dolores nostros portavit. Nec magis differre, tulit & portavit, quam languores & dolores. Ita fere *Joh. Thilo in Med. Theol. V. T. pag. 943* Quid enim obstat, quo minus aliquid peculiare membro priori, aliquid itidem novum & diversum a priori membro sequenti doceatur? Talis certe loquendi ratio non solum infinitis tam Sacri Codicis, quam profanorum Scriptorum exemplis, sed etiam quotidiana comprobatur experientia.

§. 11.

Præterea hanc diversitatem sensus utriusque membri declarare videtur non solum quodammodo ratio Accentuum Hebraicorum, adhibens in prioris membri ultima voce נשא loco subdistinctivi minoris Tiphcha subdistinctivum majorem Sakephkaton, sed & imprimis particula connexa ו, quippe qua Synonymiam verborum Jesaiæ, ut nobis forsan quispiam objecerit, satis evinci affirmare haud possumus. Siquidem præter officium voces conjungendi præfixum hoc plures alias sustinere significationes in vulgus notum est, & ab ullo negatum iri ne fingi quidem potest. confer. *Cel. Danzii Interpres Ebræo-Chald. p. 315. seq. & Noldius in Concordantiis Partic. Ebr. Chald. p. 268. seq.* In his autem notionibus est etiam causalis *Nam*, *Quia*, *Propterea quod*, quæ bene etiam obtinere potest versu 11. hujus *Cap. LIII. Jes.* in vocibus ועונתם הוא יסבל, si ita exprimas: *Et* i. e. *Nam perversitates eorum ipse portabit.* Possis tamen etiam exponere *Quin*, per quandam correctionem aut gradationem. Vel denique illative per *Ideo*, *Propterea*, *Quare* &c.

§. 12.

§. 12. His igitur positis, sat prono alveo profluere hinc videtur talis vaticinii Jesaiæ sententia, quæ & vim ἰλασμȣ̃ Christi confirmet contra impetus Socinianorum, & Matthæum hæc verba laudantem a cavillis Judæorum aliorumque empæctarum defendat, & a difficultatibus, quibus plerique Interpretes alioquin premuntur, nos liberet hoc modo: *Profecto morbos nostros* (& corporis & animi) *ipse sustulit, removit,* (cum peccata remittendo, tum morbos, acerbos peccatorum fructus, divina potentia sanando: quorum utrumque vel in uno paralytico Matth. IX. licet deprehendere; & Matthæi VIII. sane luculenter conspicitur, ubi Christus a Dæmone violenter oppressos restituit in sanitatem & animi & corporis.) *Nam dolores nostros portavit atque in se suscepit,* (Se nostri loco coram Dei judicio reum subdidit, eoque plenam & animi & corporis salutem nobis impetravit, eademque opera a Patre consequutus est, ut Ipse nobis esset autor atque effector plenæ atque æternæ salutis, Ebr. V, 9. quod tot miraculosis morborum curationibus per Evangelistas passim descriptis opere ipso patefecit.) Vel: *Profecto morbos nostros sustulit*: (neque vero hoc tantum beneficium in nos contulit, sed multo majus voluntatis amorisque in nos pignus dedit:) *quia & dolores nostros* (at quantum onus infinitæ æternæque molis!) *portavit ipse atque in se suscepit.* Vel: *Profecto morbos nostros* (& corporis & animi) *ipse sustulit, quin etiam dolores nostros portavit.* Vel denique: *Profecto morbos nostros* (& corporis & animi) *ipse sustulit.* (Quia vero hoc, si cum æternæ salutis acquisitione conjungeretur, plenam pro peccatis nostris satisfactionem necessario requirebat,) *propterea etiam dolores nostros portavit atque in se suscepit.*

§. 13. Hic ergo ablationem morborum, tam animi, quam corporis, de qua Matthæus in citatione & explicatione hujus Prophetiæ loquitur, diserte prænunciari de Christo videmus; eundem Salvatorem nostrum videmus onus peccatorum nostrorum pœnarumque in nos incumbentium in se transtulisse. Quo pacto nec *Socinus*, satisfactionem Christi nobis erepturus, aliquid lucratur, nec difficulter intelligitur, dicti hujus veritatem tunc temporis luculenter omnibus potuisse constare, cum Christus propria virtute, divina potentia tot ægrotos sanaret, atque ex malis per Satanam inflictis eriperet.

§. 14. Simplicior autem hæc & plenior utriusque loci conciliatio nobis videtur, quam eorum, qui totum locum istum, tam a Propheta, quam Evangelista, in sensu literali directo & primario de morbis animi sive peccatis, deinde vero indirecte, minus principaliter & per consequentiam de morbis corporis intellectum fuisse putant. vid. *Clotzius de Doloribus animæ JEsu Christi pag. 90. & Andr. Keslerus in Dissert. Theol. de Dictorum V. T. in Novo allegatione,* §. 44.

§. 15. Cæterum cum nostra explicatione consentit fere omni ex parte *Joh. Brentius in Comment. in Jes. pag. 670. 671. Tomo IV. Oper.* Ibi enim dicit: *Non est*

C *autem*

autem sentiendum, quod Evangelista, cum exponit hunc locum Esaiæ de corporalibus infirmitatibus, quas Filius Dei in ægrotis corporaliter etiam curandis suscepit, abutatur dicto Prophetæ in alium sensum, quam Spiritus S. intelligi velit. Nam Filius Dei suscepit nostras infirmitates & portavit nostros morbos duplici ratione. Et de utraque textus Prophetæ intelligendus est. Altera, quod suscepit infirmitates nostras curandas corporaliter. - - Altera ratio est, quod suscepit infirmitates nostras curandas spiritualiter. Nos enim obnoxii sumus, non solum omnibus corporalibus infirmitatibus, morbis & adversis, verum etiam corporali & æternæ morti ac perpetuo igni gehennæ. - - - Quare, sicut Filius Dei suscepit in se nostras infirmitates duplici ratione curandas, ita Matthæus apte & recte citavit hunc textum de altera curandi ratione, qua Christus liberavit quidem ægrotos corporalibus morbis, sed ut his miraculis testaretur, se esse verum spiritualem & cœlestem infirmitatum nostrarum curatorem. Hactenus *Brentius.* Ita & *Jo. Meisnerus Exerc.IV.in Matth.*§.17. *statuimus*, inquit, *literaliter & proprie impletum dici.* Accedit tamen etiam ex parte ad nostram sententiam *Cel. Coccej. in Considerat. ad Ultima Mosis Sect.III.cap.XXXII.*§.741. ubi allatis verbis vaticinii nostri Jesaiæ iisque breviter expositis ita pergit: *Nihilominus tamen maxime isto genere loquendi de morbis & doloribus, connotat ablationem dolorum & morborum, idque ideo scilicet, quia ipse portabat, ut effectu ablationis probaret, se esse eum, qui portaret.* Et huc etiam referendus esse videtur *Cajetanus*, de quo *Jansenius in Concord. Evang. cap. XXVIII.* ita loquitur: *Cajetanus vero contendit, sensum testimonii hujus, ut a Matthæo citatur, esse sensum literalem Prophetæ Jesaiæ.*

§. 16. Sed proposita hac nostra sententia de conciliandi ratione Jesaiam cum Evangelista, aut potius de sensu Spiritus S. apud utrumque plenius explicando, removenda nobis simul fuerint, quæ forsan non sine specie quadam huic expositioni & conciliationi Matthæi cum Jesaia objici posse videntur. Objiceret enim forte quispiam, sequentia eam non permittere. Ridiculum enim esse, si quis afferat, Christum a Deo percussum esse & humiliatum, eo quod languores nostros sustulerit, morbosque omnis generis curarit: unde potius homines arbitrari debuissent cum Nicodemo Joh. III, 2. Christum esse hominem Deo gratum, ac magnum Prophetam a Deo missum; quin eo temporis articulo, quo Christus secundum vaticinia Prophetarum expectandus erat, ipsum Christum.

§. 17. Ad hanc autem objectionem quod attinet, recte quidem ea contra *Socinum* utitur *Clotzius l. c: p. 78.* quem portationem peccatorum nostrorum pœnarumque ex hoc dicto, invita veritate divina & verbis propheticis, plane tollere conari, merito omnes indignantur boni. Nos vero ista non feriunt, quippe qui susceptionem peccatorum nostrorum ex hoc ipso Jesaiæ vaticinio defendimus; plura tamen simul credimus, *Matthæo* autore, latere in hoc dicto, ipsaque sacri Vatis verba eo ducere in præcedentibus jam animadvertimus.

§. 18

§. 18. Deinde etiam ad hanc objectionem respondemus, Jesaiam non tam causas docere velle, cur Judæi Christum modis tam indignis habuerint; quam ipsius contemtionis indignitatem & turpitudinem graviter ponere ob oculos, quod eum scilicet spreverint, qui tot benefactis se inter ipsos fecerit conspicuum, tantum etiam malorum propter ipsos in se susceperit, cui adeo alia omnia ab ipsis fuissent debita, adde Act. X, 38. seqq.

§. 19. Quod autem ita res se habeat, & hic sit sensus querelæ Jesaiæ, citato hoc *cap. LIII, 1.* occurrentis, & sequentium verborum, intelligi potest ex simili illa querela, quæ *Joh. XII, 13.* occurrit. Nam c. l. non solum verba querelæ Jesaiæ, quam diximus, citantur, sed & iisdem contemtionis Christi indignitas & turpitudo probatur & Judæis graviter ponitur ob oculos, dum Evangelista dicit, Judæos, licet JEsus τοσαῦτα σημεῖα, *tanta signa* coram illis perfecerit, adeoque tantis illos affecerit beneficiis, tamen in eum non credidisse. Quo pacto commode in hoc nostro vaticinio ו in voce ואנחנו adversative exponi potest, non nude copulative, sed ut vertatur: *Tamen, Veruntamen nos* &c.

§. 20. Porro autem nobis objici posse videtur, verbum נשא in hoc Jesaiæ vaticinio non in *auferendi*, sed *ferendi* significatione esse accipiendum. Hoc enim ex versu 12. hujus capitis posse colligi: ubi non auferendi, sed ferendi notionem sustineat, fatentibus sic Interpretibus. Ita fere *Clotzius c. l. pag. 80.*

§. 21. Verum objectio hæc exigui certe est momenti, nec ullo modo nostræ obstat explicationi. Cum enim jam supra dixerimus, rem omnium Philologorum confessione comprobatam esse, verbum נשא non solum ferendi, portandi, sed & auferendi, tollendi notionem habere; nihil h. l. obstat, quo minus hæc vox in diversis commatibus diverso modo sensuque extet. Hoc enim omnium linguarum usu & quotidiana comprobatur experientia, imo infinitis, si rei necessitas urgeret, confirmari posset exemplis. Addemus tamen modo unum de synonymo quodammodo Græco verbo βάλλειν ex patre græcitatis *Homero.* Hic enim Ιλ. *λ. v. 108. 109. pag. m. 376.* ita canit:

Τὸν μὲν ὑπὲρ μαζοῖο κατὰ στῆθος βάλε δουρί.
Ἄντιφον αὖ παρὰ οὖς ἔλασε ξίφει, ἐκ δ' ἔβαλ' ἵππων.

quæ ex versione *Giphanii* ita interpreteris: *Alterum quidem supra papillam juxta pectus sauciavit hasta: Antiphum autem juxta aurem percussit ense depulitque ab equis.*

§. 22. Sed ne hac quidem proposita jam responsione indigemus. Si enim citatum *v. 12.* accuratius consideramus, etiam ibi auferendi notio locum invenire potest, si verba והוא חטא רבים נשא ita vertas: *Et ipse peccata multorum sustulit.* Quæ quidem, si de acquisitione remissionis peccatorum capias, tum *Multi* sunt genus humanum universum: eodem modo, quo Matth. XX, 28. adde II. Cor. V, 19. seqq. Sin de veniæ applicatione, tum *Multi* sunt multitudo fidelium, de qua sermo fit Psal. XXII, 23. 26. &c.

§. 23.

§. 23. Denique vero auferendi significationi verbi נשא repugnare cuiquam videretur Græcum ἔλαβε, per quod Matthæus Hebraicum נשא exprimit, cum λαμβάνειν tantum accipiendi in se notionem habeat; ac proinde dixerit quispiam, ipsum Matthæum explicationem nostram vocis נשא refutare. Sed omnino etiam in voce ἔλαβεν auferendi, tollendi significationem & locum habere & bene defendi posse nobis videtur, cum scilicet & *Syrus Interpres* utatur verbo נסב, ubi Matthæus ponit λαμβάνειν, quod non modo *accipiendi, portandi*, sed & *auferendi* notionem habet, & imprimis non infrequens hujus notionis verbi λαμβάνειν sit usus. Nam non solum in N. T. e. g. quodammodo *Matth. XV, 26.* Ουκ ἔςι καλὸν, λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις. *Non est bonum, auferre panem liberorum & objicere catellis.* & imprimis *Apoc. VI, 4.* καὶ ἐξῆλθεν ἄλλος ἵππος πυῤῥός· καὶ τῷ καθημένῳ ἐπ' αὐτῷ ἐδόθη αὐτῷ λαβεῖν τὴν εἰρήνην ἀπὸ τῆς γῆς. *Et prodiit alius equus rufus & sedenti in eo datum est, ut auferat (tollat) pacem de terra*: sed & apud Scriptores profanos hæc notio obtinet e. g. apud *Homerum* Ἰλ. ε. *v. 83.*

Τὸν δὲ κατ' ὄσσε
Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.

Hunc autem ex oculis abstulit (sustulit) purpurea mors & fatum violentum. Per *Auferre* enim h. l. verbum λαμβάνειν exprimit magnus ille Germaniæ eruditæ lumen Joach. Camerarius.

§. 24. Plura quidem adhuc in medium essent proferenda, sed quia hactenus dicta ad accuratiorem illustris illius vaticinii *Jes. c. LIII. 4.* cum citatione *Matth. VIII, 16. 17.* conciliationem nonnihil jam afferre putamus, nec instituti nostri, nec temporis ratio plura persequi patitur, hic subsistimus. Quod vero reliquum est, Deo T. O. M. non solum humillimas agimus gratias pro infinitis ac immensis gratiæ suæ divitiis, quas imprimis, suscepta per Filium suum expiatione peccatorum nostrorum, & per Prophetas in V. T. prædicere, & re ipsa ac plenario complemento in N. T. ad acquirendam nostram salutem demonstrandamque verbi sui veritatem exhibere voluit; sed & Idem summum Numen supplices veneramur, velit omnes tenebras ac nebulas, quibus adhuc mentes nostræ interdum ab accuratiori sensus verbi sui cognitione detinentur, veritatis splendore depellere, ut eadem in animis nostris magis magisque possit coruscare. Tandem vero etiam Lect. Benev. obnixe petimus, velit ea, quæ forsan in his minus probata sibi videantur, pro suo in nos favore gratiose emendare, certissime simul confidens, nos æquo animo fore laturos, si in harum paginarum perlustratione Sibi forsan illud quoque placeat, quod *Joh. Morinus Exercit. Eccles. l. c. 1.* sibi semper in autorum lectione placuisse profitetur, & e Judæorum sapientibus non nemo dixisse fertur, scilicet: רימון מצאתי תוכו אכלתי קליפתו זרקתי h. e. *Malogranatum inveni, interiora comedi, corticem abjeci.*